



# PROLEGOMENA

DE

INTERPRETATIONE

VNIVERSA.

I.

**I**nterpretationem librorum sacrorum esse summum idemque difficillimum Theologi munus, ipsa res et ratio, et vsus, et omnium meliorum saeculorum consensus docet. Nam omnis certa veritatis diuinae et scientia, et defensio, e sacrarum literarum intelligentia et accurata interpretatione ducitur: et cum interpretandarum literarum sacrarum studio et lapsa et restituta est religionis christianae puritas: denique principes Theologorum semper numerati sunt ii, qui in eo genere excellerent.

2. Cum autem omnis interpretatio sit difficilis, quod plurimum doctrinae, iudicii, diligentiaeque, saepe etiam quandam ingenii felicitatem desiderat, tum vero multo difficilior, multis de caussis, est interpretatio librorum sa-

A 2

crorum,